

alio liquore, vel citri succo diligentissimè conterunt. Ab omnibus vituperatur modus læuigandi aurum ab Auic. cap. de confect. ex Hyacintho propositus; admiscet enim illi Lithargyrum.

De Lapidibus. Cap. XV.



SUNT lapides corpora spontè nata, qui rigari non sistent, teste Gal. lib. 9. Simpl. Hi enim nec aqua humescunt, nec molles euadunt; addunt aliqui huic descriptioni, nec liquari calido, vel frigido, & natura frangibiles. Sed de his satis. At quoniam impossibile existit illis uti ad morbosas passiones curandas; cum sint crassarum partium, atque duri: ideo, ut ille scribit lib. 2. per genera, omnia lapidosa, & dura in tenues partes terere oportet, & abluere. Modum autem eos læuigandi aperit lib. 9. Simpl. cap. de Lapidibus, dum de Hematite sermonem habet, sic: Si in cote oculari eum teras cum aqua, donec mellis crassitiem acquirat. & cap. de Pyritæ hæc: Ceterum lapides omnes, ubi in usum vocantur, admodum vehementer contusi, atque ad leuiorem redacti sint, oportet, similiter atque ea quæ in Ophtalmicas facultates admiscantur; etenim nisi polinis instar comminuantur, adeo ut in profundum corporum, quibus applicantur, subeant, asimiles manent marinis, & fluuiatilibus arenis. Eligatur Cos durissimus, ne, dum pistillo hi conteruntur, ac leuigantur, aliquid ipsius in medicamentum transmittatur. Dioscor. etiam nonnullos ad cotem comminuebat,

Lapidū paradi
modi

bat, & ipsos soluebat, vt cap. de Iudaico lapide, & alijs in locis scribitur, quod etiam narratur à Gal. cap. de Schisto sic: *Hematites, Schistos, Galaetites, & Melitites in succum soluentur, qui ad cotem, aut ad mortarium attriti sint.* & alij lapides, vt qui in Aegypto nascuntur; Vtebantur illi prisci ad varios morbos fugandos, & inter ipsos Dioscor. Lapidibus, atque lapillis pretiosis liquatis, & desumptis; cum vires à se edant, teste Galeno cap. proprio, *partim secundum totius substantiae proprietatem, & partim secundum qualitates effectrices.*

Sunt eodem modo omnes lapilli pretiosi comminuendi, sicuti & ceteri lapides, qui aut in cote, aut in mortarijs teruntur, vt 9. Simpl. Docuit modum illos læuigandi Auic. lib. 5. S. 1. dicens: *Hya-cinthis, Granatæ, Iaspis ponantur in instrumento terendi, & incipiatur commotio cum facilitate; deinde ponantur in tabula, & præparetur super eam ad terendum, & fiat pulvis minutissimus.* Hoc pacto & reliqui parentur, superinfundatur sæpe, dum læuigantur, aut aqua rosarum, aut è floribus citri: deinde in pastillos cogantur.

Lapillorū
pretiosorū
præpar.

De Terra, et eius ablutione, et adustione.

Cap. XVI.



ERRAM decreuit Gal. 9. Simpl. à Latinis vocari, quæ aqua iniecta, statim soluitur, & fit lutum. Huius, quam homines ad culturam elaborant, due sunt differentie. Vna enim est pinguis, viscosa, & colore atra. Altera friabilis, & coloris